DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

HYDROCEPHALO ACUTO

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

HYDROCEPHALO ACUTO

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICI DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANDREAS MADDEN,

Hibernus,

CHIRURGUS.

Εκοπεῖσθαι ὀῦν χρὴ ἡμᾶς, ἔιτε ταῦτα πρακτεον ἔιτε μή· ὡς ἐγω ὀ μόνον νῦν, ἀλλα και ἀὲι τοιουτος, ὁιος των ἐμῶν μηδενὶ, ἂλλῳ πείθεσθαι ἢ τῳ λογῳ, ὃς ἄν μοι λογιζομενῳ βελτιστος φαινηται.

PLATO.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

VIRO SPECTATISSIMO

THOMÆ MILLS, M. D.

REGIS REGINÆQUE COLLEGII MEDICORUM

IN HIBERNIA

LICENTIATO.

Vir honorate,—Quum Tibi Opusculum quale hoc est, dedico, officio fungor, Tibi qui adeo morborum naturam, corporis structuram morbosam indagando, in aperto posuisti, jure quodam debito. Hujus quoque tentaminis maculas sub tui tanti nominis umbra esse latituras, spero; et quidem voluptas haud parva existit, quod ita publice tua in me beneficentia plurima pignora, immerita fortasse, sed non oblivioni tradita, commemorandi mihi facultas sit.

Auctor.

SUO FRATRI DILECTO

GULIELMO MADDEN,

AULÆ PHARMACOPOLARUM EBLANÆ

PRÆFECTO,

OB MULTA FRATERNA BENEFICIA

IN SE COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM

SACRAM VULT

AUCTOR

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

HYDROCEPHALO ACUTO

COMPLECTENS.

Auctore ANDREA MADDEN.

PROŒMIUM.

QUAMVIS multi et quidem eruditi scriptores argumentum hujus tentaminis tractarunt, nihilominus de Hydrocephalo dissertationem perscribere ausus sum. Neque tamen aliquid novi aut exquisiti proferre speravi; sin autem mandato Almæ Academiæ Edinburgenæ obtemperavero, et meipsum studia minime omnino neglexisse pro certo posuero, pretium operæ præstabitur.

Historia Morbi.—Hoc malum temporibus etiam ab antiquissimis extitisse videtur, siquidem Pater ipse Medicinæ Hippocrates id nequaquam ceu novum aut rarum memoravit. Neque alterutro sexui præ altero parcit; vix enim an inter infantes saltem mares an fœminæ eo sæpius laborent, dici potest, idem malum vero sub ætatem puberem puellas multo sæpius quam pueros aggredi Morgagni et Burns auctores sunt. Quinetiam, quamvis infantilem ætatem præcipue adoritur, rarius enim puberes invadit, attamen neque ætas constans neque senilis ab ejus aggressionibus immunitate fruitur. Intra annum vero secundum et decimum, plerumque in conspectum edit.

De Indiciis.—Stadia, a plerisque auctoribus qui huic rei operam suam dedere, tria proposita sunt.

Primum ab ægritudine quadam sive molestia incipit, adeo generali, ut de nihilo præcipue æger conqueratur; sed cibi potionisque appetitus haud parum deficit; neque ludi soliti ut antea placent; neque exercitationes corporis consuetæ sine fatigatione et fastidio tolerari possunt. Dolor deinde

capitis lentus et hebes, præsertim sincipitis, paulatim ingravescit, cujus quoque oculi aliquatenus participes evadunt, lucisque stimulum simul ægre ferunt. Lingua fit albida et arescit, atque nonnunquam aphthæ os ipsum obsidere reperiuntur. Facies colore rubriore suffunditur, cutis magnopere incalescit. Pulsus arteriarum plurimum accelerantur, adeo ut sæpe intra horæ minutum centies et vicies vel etiam centies et quadragies micent. Sitis sæpe, nausea, et vomitus aliquando importunus, adsunt, ægrumque molestum habent. Partes etiam corporis diversæ, veluti abdomen et artus, dolores sentiunt; et alvus interdum parum vel nihil reddit, dejectionesque, etiam purgantibus satis validis adhibitis, difficillime moventur; interdum, tamen, contra, alvi fluxus supervenit, at quod dejicitur plerumque colorem viridem præ se fert, vel ad fusciorem spectat. Spiritus difficilis est. Somnus, si omnino adest, somniis inquietis multum turbari videtur, et infans sæpe frendet, nares vellicat, et haud raro, cum ejulatu acri et arguto, ex somno quasi dolore subito et interno cietur. Neque mens ipsa incolumis effugit, sed enim, uti solet, corporis sui comitis arctissimi mala participat; indoles enim

animi varia, difficilis et morosa evadit, et iracundia pariter ac mœstitia sine causa evidente solito crebriores fiunt.

Secundum stadium, plerumque iisdem signis quæ in primo conspiciuntur, post paucos dies ingravescentibus denotatur. Sic dolor capitis gravior et magis circumscriptus respiratioque tractu difficilior instant. Calor corporis universi multum intenditur. Neque alvus solvitur, neque dejectiones, si ullæ descendant, sibi aspectum saniorem vindicant.

Quædam, tamen, in hoc hydrocephali tempore, ab indiciis prioris, non modo vehementia et gradu, sed etiam genere, discrepant et mutantur. Pulsus, enim, antea naturali debilior et celerior factus, jam eodem tardior, vel plane naturalis fit; sed non ita facile excitandus ac in conditione adeo ægra et malis obsessa par esset expectare. Jam oculorum conditiones insolitæ observantur: strabismus, plerumque contortione introrsum, nonnunquam distortione extrorsum, spectante supervenit; visus quoque sæpe fit duplex, adeo ut æger de rebus duabus visis, ubi unica tantummodo debet esse, conqueratur. Strabismus nunc oculo alteri, nunc utrisque, simul incumbit. Pu-

pillæ item dilatatæ manent, neque raro hydrocephalicus nunc oculis omnino capitur. Neque oculi ægri, dum dormitat, penitus clauduntur; interdum, per temporis aliquod respiratio fere prorsus supprimi videtur, denique, vero, suspirio maxime profundo edito, redux evenit. Sopor vel etiam coma jam signa prægressa excipit, nec potest æger e statu lethæo facile suscitari, et siquando oculos allevet, et debiliter astantes circumspiciat, mox in torporem eundem relabitur. Faciem vicibus alternis vel rubor suffundit, vel pallor occupat, aut altera gena rubescit, dum altera pallida manet. Convulsiones lateris alterius aliquando superveniunt; et quamvis prius cibi inappetentia adfuerit, jam æger quicquid cibi vel potionis porrigitur, nisu voraci assumit, vel etiam vas dentibus confringit. Halitus oris a WHYTTIO celeberrimo, in hoc mali stadio et sequente, plurimum fœtere dicitur.

Stadium tertium.—Pulsus in primo tempore præter naturam velox, in secundo sæpe naturali tardior, in tertio celerrimus, evenit: adeo quidem ut, intra horæ minutum, cor et arteriæ centies et sexagies, vel etiam ducenties, micant; neque hæc velocitas subito sed sensim accedit. Ar-

tuum vellicationes spasmodicæ augescunt; sensorii functiones, si non comate reprimantur, multum turbelæ sentiunt, et intervalla a sopore profundo percepta delirium fere occupat. Frigora aut calores corpus permeant. Spiritus valde laborat, et cum stertore absolvitur; sphincteres ani et vesicæ solvuntur. Deglutitio difficillime, si omnino, peragitur. Epistaxis, lacrymarum profusio invita, et oculorum vacillatio, nonnunquam sequuntur. Sudor tenax et viscidus super membra erumpit. Convulsiones superveniunt; ægrumque tot miseriis defatigatum, morte fere optanda e medio tollunt.

Hunc quidem decursum hydrocephalus acutus plerumque peragit; in diversis, autem, hoc morbo laborantibus, diversa signa nascuntur; et profecto hæc ipsa, de quibus supra dictum est, nonnunquam, neque ordine eodem, neque vehementia, neque diuturnitate pari, sese proferunt; quæ tamen hic speciatim recensere longum esset.

De Causis.—In hoc morbo, hæ pariter ac in aliis complurimis, in proximam, prædisponentes et excitantes, distributæ sunt.

De Causa proxima, in plerisque morbis, sæpe multum ambigitur; et in hoc quidem parum de illa inter medicos etiam celeberrimos convenit. Quidam enim hoc malum ex nihil alio, nisi effusione hydropica simplice constare contendunt; et quantitatem laticis aquosi in ventriculis cerebri post mortem repertam debilitati, et toni, si ita dicere licet, defectui arteriarum exhalantium attribuunt, unde copia humoris ex ostiis relaxatis effunditur, major quam absorbentia haurire queant. Neque hic argumenti conspectus omnino absimilis est, si in memoriam revocamus hydrocephalum sæpissime in leucophlegmaticis, et in pluribus familiæ ejusdem eodem corporis habitu, strumoso puta, præditis accidere. Alii, contra, inflammationem actionemque exhalantium ob excitationem quamlibet auctam, affectum primarium, causamque proximam, esse asseverant. Hæc quoque opinio, certe ab iis inflammationis indiciis, quæ, cadavere inciso, observantur, nonnihil confirmationis atque roboris deducit. In hoc, fortasse, ut in multis aliis exemplis, ubi de re quavis acrius disceptatur, verum in medio est, neque ab extremo alterutro nimium recedit. Quia, scilicet, in quibusdam, hic morbus cum anasarca

generali apparet, neque ulla inflammationis aut excitationis signa, sed potius debilitatis et languoris conspiciuntur; et contra nonnunquam pyrexia, calor cutis præter modum, faciei rubescentia, et alia quæ congestionem et incitationem subsequentem indicant, præsto sunt; cum hæ res se ita, temporibus aut constitutionibus diversis habeant, me judice, dicere haud nefas est, hydrocephalum nunc ob hanc, nunc ob illam causam moveri, eosque (neve tales desunt) multum aberrare, qui regulæ haud factis comprobatæ, "Eundem, scilicet, morbum usque ab eadem causa proxima proficisci," nimis religiose obsequuntur.

De Causis prædisponentibus.—Quoniam infantuli hoc morbo dirissimo adeo sæpe plectuntur, nonne licet, aliquid huic ætati proprium subesse, quod det proclivitatem, suspicari? Caput ipsum in infantibus, imo etiam a primis corporis fundamentis jactis, multo magis et citius quam partes cæteræ, pro rata parte, evolvitur; cerebrumque, omni quidem ætate molle et tenellum, in hac præ aliis cunctis delicatum existit, ideoque vim actionis vasorum quovis casu auctæ minus facile quam alias patitur. Hinc fit fortasse ut juniores vivaces, quibus est ingenium præcox,

vel corporis incrementum præmaturum, huic morbo nonnihil obnoxiores videantur. Ob eandem cerebri teneritudinem, omnisque stimuli sensibilitatem acrem, morbi partes corporis diversas, et forsitan satis remotas infestantes, hoc per consensum ita afficiunt, ut ibi congestiones sanguineæ cumulentur, quæ tandem hydrocephalum inducant. Hinc fortasse accidit, ut haud raro morbum de quo agimus, hepatis et intestinorum conditioni morbosæ supervenire, vel eandem comitari, conspiciamus.

Habitus debilis congenitus, vel etiam strumosus hæreditarius, adeo sæpe hydrocephalum prægredi observatur, ut merito pro causa prædisponente, etiam præcipua in plurimis exemplis, habeatur.

De Causis excitantibus parum constat, quoniam effusio in ventriculos omniaque inde oriunda mala, in exemplis complurimis, sine ulla causa, quæ vel ante mortem prædicari, vel ex cadaveris incisione detegi possit, accedere observantur. Sæpe tamen ab injuriis externis, veluti vi capiti illata, oriri dicitur. Necnon a tumoribus scirrhosis vel excrescentiis cerebri substantiam irritantibus, functionesque ejus impedientibus, ortum

procul dubio aliquando ducit. Irritationes quoque variæ, veluti a dentitione aut a vermibus canalem intestinorum infestantibus, in statu corporis universi adeo mobili, ut infantibus adest, capitis hydropem civisse, nec immerito existimantur. Nonnulli auctores quoque hunc morbum solitis exinanitionibus vel prægressis profluviis, veluti urinæ, sudoris, &c. subito cohibitis; itemque ulceribus incaute sanatis, et nimis cito exsiccatis; necnon lymphaticorum rupturæ, referunt; quamvis profecto ex his causis suppositis, multæ conjectura et ratione potius quam rebus factis et compertis, et exemplis bene comprobatis, innituntur. Quicquid autem actionem exhalantium nimis intendat, vel potestatem absorbentium imminuat, vel fortasse utrumque effectum simul præstat, verisimile est idem hydrocephalum in constitutione jam proclivi facta excitare posse.

De Diagnosi.—Hic multo dolore fatendum est, diagnosin in stadio primo, ubi maxime e re nostra est eam quam certissime instituere, quam in cæteris redditu multo difficiliorem esse. Sin autem ad res quasdam huic morbo proprias sedulo respiciatur, medicum cautem et artis apollina-

ris exercitatiorem, in errorem esse incasurum vix metuendum est.

A Verminatione, quamvis his morbis utrisque febris lenta, anorexia, capitis dolor, delirium, convulsiones, auctore WHYTTIO, signa communia sunt; Hydrocephalus febre sua, quam in verminatione, graviore et magis regulari, cutis ardore febrili intensiore, nausea et vomitu magis importunis, discernitur. Infantibus quoque verminatione laborantibus alvus plerumque soluta est, labium superius alæque nasi cum quodam pruritu turgent, quod rarissime, si unquam, in Hydrocephalo acuto spectatur.

Ab irritatione Dentitionis, fluxu salivæ aucto, aspectu gingivarum, alvo vel jam soluta vel medicamentis facile parente, dignoscitur. Quin et dentientes digitos in os impingunt, neque ut in nostro morbo manus ad caput allevant.

Phrenitis, quæ hydrocephalum in aspectu generali haud ita male refert, pyrexiam habet ardentiorem, impetum magis repentinum, dolores sæviores, delirium ferocius, causasque dissimiles.

Febres infantum remittens, remissionibus, quam febris hydrocephali, magis distinctis, matutinis præcipue, gaudet.

De Prognosi.—Eventus hujus morbi creberrime lethalis, præsagium faustum sæpe edere vetat, præsertim in stadiis provectioribus, postquam effusio aquosa facta fuerit; tunc, enim, signa felicissima sæpe spem blandam medici pariter ac amicorum omnino fallunt, et exitu insperato deperdunt. Haud raro, in gradu morbi funestissimo, ubi mors fere statim expectabatur, ægerulus in somnum mollem et inturbatum incidit; post temporis spatium naturale expergiscitur, valde, ut videtur in melius mutatus; oculi aspectum solitum vivacem recipiunt; dolor capitis decedit; puer ludos consuetos repetit; et cuncta sanitatem perfectam cito recuperandum pollicentur; imo etiam tumor bregmatis prius effusione interna factus subsidit, et absorptionem accidisse indicare videtur. Sed eheu! quid posterum est? inter lætitiam necessariorum, inter gratulationes amicorum, inter spes medici ipsius et guadia fallacia, signa graviora subito revertuntur, et mors ipsa, intra horas quadraginta octo, vel etiam passu multo celeriore, aggreditur.

Si, vero, morbus tantummodo incipiens existit; si febris remediis prospere cedit; si denique sudor profusus vel urinæ profluvium insolitum

acciderit, aliquid sperare forte fortuna licebit; saltem, neque sympathia cum afflictis humana, neque fama medicinæ sinunt, quodvis remedii intentatum prætermittere, quod, si mala penitus tollere nequeat, tamen, indiciis molestissimis sublevatis, 'ευθανασιαν certe morituro conciliet.

De Prophylaxeos et Curationis Consiliis.—Cum in omnibus morbis, tum in hoc vel præcipue, ob curationes raro peractas, multo melius est periculum impendens præcavere, quam ejusdem postquam accesserit curationem sperare, ideoque a prophylaxi incipiendum est. Siquando, ob proclivitatem in quadam familia hærentem, veluti si ex ea unus vel alter hoc morbo jam antea laboraverit, reliquis metuere decet, ad omnia quæ eandem corrigant, multo magis si signa, quæ hydrocephali prænuncia sunt, sese prodiderint, confugiendum est. Si alvus fuerit astricta, vel functiones hepatis impeditæ, cathartica, et quæ deobstruentia habentur, adhibere oportet; et inter hæc, conditionis viscerum chylopoeticorum ratio imprimis habenda est. Fonticuli in collo sæpe, ubi suspicio manifestior est, prosunt. Calor nimius vel frigus immodicum, vel utique

vices subitæ tempestatis, injuriæque externæ, pariter fugienda. Vestitus idoneus, victus regularis et satis nutriens, aër purus, et denique cuncta, quæ valetudinem generalem vel bonam faciunt, vel ita conservant, sedulo præcipienda sunt.

Quum tamen neque cura, quod ad victum et regimen, neque quod ad medicinam attinet, ad morbum antevertendum satis valuerit, et signa haud incerta Hydrocephali manifesta evadunt, mala depellere, quæ arcere nequaquam potuimus, conari oportet. In stadio primo, ubi morbus maxime, vel uti quidam ferunt, tantummodo medicinæ patet, si signa inflammationis internæ eduntur, sanguis certe detrahi debet; et detractio, quod ad copiam et modum attinet, pro vehementia indiciorum phlogisticorum est regenda.

Si æger infans est et debilior, fortasse hirudines capiti apponere sufficiet; sin autem robustus est, et paulo ætate provectior, talis ratio sanguinem mittendi vix satis efficax et certa existimatur; ideoque venæsectio, forsan etiam jugularis, vel applicatio cucurbitularum cum ferro, usurpanda est.

Siquando morbus a conditione intestinorum male sana oriri, vel cum ea conjungi videtur;

vel solummodo ad impetum humorum caput versus, nova derivatione horum instituta, ideoque effectus congestionis internæ minuendos, purgantia necessaria fient, et statim post sanguinis missionem adhiberi debent. Catharsis per Jalapam cum Submuriate Hydrargyri, aut Supertartratem Potassæ cum Cambogia vel Scammonio, optime peragetur; et gradus effectuum ab aspectu, odore, cæterisque qualitatibus manifestis, dejectionum cognoscendus est. Hydrargyrum tantis copiis, ut ptyalismus induceretur, datum, in stadio secundo plurimum proficere ipse conspexi. Et hæc medicamenta quidem ita præcipere decet, ut fæcum evacuatio plena et diurna efficiatur.

In omnibus hydrocephali temporibus, epispastica multum et merito laudata sunt. Vesicatorium magnum, capiti, capillitio abraso, admotum, exinanitionem humoris e vasis capitis instituendo, plurimum prodest; et superficies nudata, vesicatorio discisso, cerato sabinæ vel lyttæ, vel, uti nonnulli volunt, Unguento Hydrargyri, oblini debet, ut bonus depletionis effectus quam diutissime sustentetur. Si, vero, melius in exemplis nonnullis videatur, capiti raso frigus, per aquam gelatam, vel pannos ex æthere et aqua succidos,

admovere, emplastra vesicatoria nuchæ applicentur.

Pulveris sternutatorii, quoque, ad depletionem per nares promovendam, aliquando profuerunt, et sibi igitur animi attentionem jure vindicant.

Quinetiam aura electrica per ictus leviores bis die caput transmissos, cum beneficio usurpata est, ideoque tentamine saltem digna videtur, in iis præsertim ubi debilitas subesse, vel revera morbum induxisse putetur.

Digitalis, quippe quæ in aliis effusionibus hydropicis procul dubio prosit, in hac quoque tentata est; at effectus ejus incerti sunt; et siquando aliquid boni effecerit, an id per vim suam diureticam, an potestatem vires et actionem cordis et arteriarum minuendi peragat, minime adhuc inter scriptores convenit.

Quæ, Cadavere aperto, videntur.—Aqua inter ventriculos copia majore vel minore, in exemplis diversis, cumulata sæpissime videtur. Quantitas profecto ab unciis paucis ad sextarios aliquot variat; ejusdem naturæ ac ea quæ in aliis cavis organis reperitur, esse apparet. In quibusdam, in sero effuso nonnihil lymphæ coagulabilis

observatur, et ubi copia major est, cerebri remollitio simul conspicitur.

In multis nulla inflammationis indicia scalpello monstrantur: in multis autem quædam puncta parvula et rubra in hæmisphærio secto observari possunt, venæque membranarum in superficie cerebri, et ventriculis obductarum, sanguine nigricante congestæ.

Ubi seri effusi copia haud ita magna est, substantia cerebri nunc indurata, nunc remollita, videtur.

Jam, bona venia, et auspiciis faventibus, liceat hanc Dissertationem ad finem perducere. Si quid prætermiserim, vel si aliter offenderim, correctionis haud impatiens ero.

FINIS.